

Alesia

69 (1) Ipsum erat oppidum Alesia in colle summo admodum edito loco, ut nisi obsidione expugnari non posse videretur; (2) cuius collis radices duo duabus ex partibus flumina subleebant. (3) Ante oppidum planities circiter milia passuum tria in longitudinem patebat: (4) reliquis ex omnibus partibus colles mediocri interiecto spatio pari altitudinis fastigio oppidum cingebant. (5) Sub muro, quae pars collis ad orientem solem spectabat, hunc omnem locum copiae Gallorum compleverant fossamque et maceriam sex in altitudinem pedum praeduxerant. (6) Eius munitionis quae ab Romanis instituebatur circuitus decem milia passuum tenebat. (7) Castra opportunis locis erant posita ibique castella viginti tria facta, quibus in castellis interdum stationes ponebantur, ne qua subito eruptio fieret: haec eadem noctu excubitoribus ac firmis praesidiis tenebantur.

70 (1) Opere instituto fit equestre proelium in ea planitie, quam intermissam collibus tria milia passuum in longitudinem patere supra demonstravimus. Summa vi ab utrisque contenditur. (2) Laborantibus nostris Caesar Germanos summittit legionesque pro castris constituit, ne qua subito irruptio ab hostium peditatu fiat. (3) Praesidio legionum addito nostris animus augetur: hostes in fugam coniecti se ipsi multitudine impediunt atque angustioribus portis relictis coacervantur. (4) Germani acrius usque ad munitiones sequuntur. (5) Fit magna caedes: nonnulli relictis equis fossam transire et maceriam transcendere conantur. Paulum legiones Caesar quas pro vallo constituerat promoveri iubet. (6) Non minus qui intra munitiones erant perturbantur. Galli veniri ad se confestim existimantes ad arma conclamant; nonnulli perterriti in oppidum irrumpunt. (7) Vercingetorix iubet portas claudi, ne castra nudentur. Multis interfectis, compluribus equis captis Germani sese recipiunt.

71 (1) Vercingetorix, priusquam munitiones ab Romanis perficiantur, consilium capit omnem ab se equitatum noctu dimittere. (2) Discedentibus mandat ut suam quisque eorum civitatem adeat omnesque qui per aetatem arma ferre possint ad bellum cogant. (3) Sua in illos merita proponit obtestaturque ut suae salutis rationem habeant neu se optime de communi libertate meritum in cruciatum hostibus dedant. Quod si indiligentiores fuerint, milia hominum delecta octoginta una secum interitura demonstrat. (4) Ratione inita se exigue dierum triginta habere frumentum, sed paulo etiam longius tolerari posse parcendo. (5) His datis mandatis, qua erat nostrum opus intermissum, secunda vigilia silentio equitatum mittit. (6) Frumentum omne ad se referri iubet; capitis poenam iis qui non paruerint constituit: (7) pecus, cuius magna erat copia a Mandubiis compulsa, viritim distribuit; frumentum parce et paulatim metiri instituit. (8) Copias omnes quas pro oppido collocaverat in oppidum recepit. (9) His rationibus auxilia Galliae exspectare et bellum administrare parat.